

## MISSIO CANADENSIS AB ANGLIS PROTURBATA.

**S**OCIIS illic degentibus venerant auxilio Idibus Maii anni MDCXIII. Pater Quintinus, & Frater Gilbertus Thetus, regio diplomate instructi, quo facultas ipsis dabatur novi domicilii commodo loco ædificandi. Gallos reperiunt incubentes in condendam urbem, & periculi, quod instabat, ignaros. Angli paucis ante annis occupaverant Virginiam. Hæc Americæ septentrionalis ad ortum portio maritima, inter Floridam Novamque Franciam sita, tricesimo sexto, septimo, & octavo gradibus substernitur. Eò cum tenderent Angli æstivis anni MDCXIII. mensibus, & infici locorum errarent, ob exortam caliginem, quæ huic mari densissima folet per eos menes incubare, paulatim delapsi sunt ad littus, ubi Galli confederant, haud procul portu Sancti Salvatoris. Postquam cognoverunt Gallicas naves ibi consistere, arma expedient, & in portum invehuntur. Interea Galli ancipiti opinione suspensi, amicos an hostes censerent, quos recta in suam stationem ventus inferebat, eventum trepidi opperiebantur. Brevi, quinam effent patuit. Angli facto impetu in Gallicum navium, paucis instructum propugnatoribus, ceteris ad condenda domicilia digressis, id nullo negotio expugnant.